

corporis viribus, tùm ingenii dotibus, antiquis multò infirmiores evasisse, nihilq; , quod priscorum excellentiæ æquari, nedum anteferri ullâ ratione possit, nobis hodiè superesse; ut adeò non eleganter minùs, quàm verè cecinerit Lyricorum Princeps:

*Damnosa quid non imminuit dies?*

*Ætas parentum pejor avis, tulit*

*Nos nequiores, mox daturos*

*Progeniem vitiosorem. (2.)*

2.

Optimo autem jure cœcam istorum hominum suspicionem acuto risu explodit Lucianus, dum *mirari se ait, cur Dii tot olim genuerint liberos, nullos autem suo seculo? interrogatq; , jocans, ecquid septuagenarii jam essent, aut lege Papiâ, contra senum nuptias latâ, constricti?* (3.) Pari modo videntur homines illi subvereri, ne lassâ quasi, & effoeta jam natura reddita sit, ut nihil laudabile amplius pariat. Enimverò ut nunc omittam, quantum hoc præjudicium socordiæ, diffidentiæ, & quasi desperationis inducat mortalium animis, quæ quidquam generosum aggredi prohibet, ibiq; industriæ limites figendos svadet, ubi substiterunt priores; ut non dicam, quantum per eas calumnias derogetur communi omnium parenti Naturæ; perpendite quæso, quantum ita detrahatur Naturæ Conditoris venerando Nomini? cujus gloriam, sapientiam, atq; magnitudinem, malevoli isti non extollunt, sed imminuunt, non mirantur, sed rident, non augent, sed supprimunt atq; extingvunt. Nunquam adeò exaruerè divinæ misericordiæ fontes, ut ad nostra tempora, temporumq; ingenia irriganda derivari non amplius queant; cùm adeò immensi sint ejus thesauri, ut non possint comprehendi, adeò opulenti, ut non numerari, adeò profundi, ut non exhauriri. Constans est Dei voluntas, sapiens benignitas, quæ, sicut non in unum aliquod ingenium, ita nec in unam eandemq; ætatem dona sua velut in cumulum conjicit, sed semina liberalitatis suæ per diversas seculorum series prudentissimè dispergit. Quod si  
igitur